



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 888. Usque Ad Annum 1000

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117921

§. 2. Petri Urseoli conversio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66313)

Sæculum X.
A. C. 983.
plinæ se tradidit. Marinus vir erat magnæ simplicitatis & vitæ puritatis eximiæ, sed nullo vitæ anachoreticæ magistro usus fuerat. Singulis diebus Psalterium recitabat, & Romualdus, antequam mundo valedixisset, omnino literarum rudis, tunc vix legere satis didicerat, cumque crudus præceptor, ut errantem corrigeret, recitantis caput in læva parte virgæ sæpe percuteret, ille injuriam diu passus, tandem inquit: *Magister! verbera, obsecro, latus dextrum, nam in sinistro tantum non audiendi facultatem perdidisti.* Marinus Discipuli patientiam admiratus exinde lenius eum habuit.

§. II.

Petri Urseoli Conversio.

Petrus Urseolus, tunc temporis Venetorum Dux, viam sibi ad Solium atroci crimine paraverat. Nam cum Veneti Vitalis Candidiani Antecessoris ejus fidem suspectam haberent, communicatis consiliis ejus Palatium oppugnare & perfidum cum tota familia interficere constituerunt. Quia vero, Vitale inimicorum vim & insidias solertissime devitante, destinata exequi non poterant, Petri Urseoli ædibus Palatio Ducali contiguus ignem subjecerunt, ipso consentiente, cui nempe Ducis Reipublicæ Dignitatem promiserant. Omnia deinde,
ut

ut excogitata erant, perfecerunt. At Sæculum X.
 Petrum, postquam ambitioni litasset, pœ- A. C. 983.
 nitentia subiit tanti sceleris, & quem-
 dam Abbatem nomine Guerinum ex Ca-
 talonia, advenam, & ad diversa loca pia
 orationis causa peregrinantem consuluit.
 Marini quoque, & Romualdi consilium
 expetiit, qui unanimi judicio pronuncia-
 runt, Petrum non Ducatum modo male
 partum abjicere debere, sed etiam toti
 mundo valedicere, & in Monasterio as-
 sumpto habitu perpetuam pœnitentiam
 agere. Ille clam uxorem, & totam fa-
 miliam fugiens cum uno amicorum suo-
 rum, cui nomen Joannes Gradenicus, ad
 tres Monachos modo memoratos se con-
 tulit; tumque viri quinque conscensa na-
 vi in Cataloniam vela faciunt, & tandem
 in monasterium S. Michaelis, cui Gueri-
 nus ab anno nongentesimo septuagesimo
 tertio præerat, perveniunt. Petrus Ur-
 seolus & Joannes Gradenicus ibi Institu-
 tum Monasticum professi sunt, Marinus
 & Romualdus haud procul a monasterio
 vitam anachoreticam, cui adsueverant,
 duxerunt, iisque uno anno elapso priores
 duo quoque se socios junxerunt.

§. III.

S. Romualdus in Catalonia.

Romualdi zelus breve ita eminuit, ut
 Magistrum omnes venerarentur, &
 ipse

*Ass. SS.
 Ben. Sæc. 5.
 p. 877. Sæc.
 6. p. 312.*